

THESES PHILOSOPHICÆ IN CE- LEBERRIMA ACADEMIA INGOLSTADIANA PVBLICE DI- sputandæ. Adhas autem Theses respondebunt honesti adolescentes, ac perdocti Bacca- laurei Ioannes Lang, Wolfgangus Pruckperger, Ioannes Praun, Præside M. Guilhelmo Vuispeckio artis oratoriæ Professore.

VIDAM Hebræi malo consilio puncta inuenient ut hac via & ratione Biblicum textum corrumperet, ac sacram scripturam deprauaret possent.

Falsum est res letas & iucundas gaudere syllabis similiter cadentibus. Quid enim hoc uersu suauius, quid dulcior?

A ttamen hic non apparent syllabarum æquali modo exeuntium uestigia.

Sunt uarie de hac dictione opinones, sed re uera aduerbialiter ponitur in Psalmis, et in alijs sacrae scripturæ locis.

Quamvis uix quicquam sonet præter eam, qua mouetur, uocalem, nihilominus tamen consonans est dicenda.

EX POETICA.

Artis Poëticæ excellentia nec lingua exprimi, nec mente concipi potest satis. Hinc apud Priscos homines in summo honore, & maximo pretio est habita. Nam sacri scriptores, ut ueteris Testamenti testantur uolumina, ea uti consuecrunt.

Nemo illustrem diuinæ Eloquentiæ cognitionem consequi, & singularem politioris literaturæ peritiam habere potest, si earum, quas ars Poëtica tradit, præceptionum sit expers.

Boni Poëtae officium est ut uerbis res adiuuet, in quo artificio excellit Vergilius, qui sono et compositione uocum, atq; ipsi pene literis & syllabis res exprimit. Sic cum magnitudinem rei horrendæ describit, ipsi etiam uersus horridiores sunt.

Frequens excellentissimorum Poëtarum lectio indicat, & communis doctissimorum virorum consensus comprobat summum uitium esse si carmen Adonicum ex unica conset dictione.

EX RHETORICA:

Summa est apud insignes Oratores controuersia, maxima apud præstantes Rhetores cōtentio, celeberrima apud eruditos uiros questio, an materia artis Rhetorica sit finita, certis limitibus descripta, ciuilibus tantum questionibus compræhensa: Nos Aristotelis, Ciceronis, & Anthonij authoritate moti eam infinitam statuimus.

Omnis auditor uel est auscultator, q; animi causa audit, uel est senator, qui de futuri deliberat, uel est iudex, q; de præteritis contendit. Ex quo perspicuum euadit esse tantum tria genera causarum, nimirum demonstrativum, deliberativum, et iudiciale.

Orator de aliqua re dicturus debet materiam inuenire, inuentam disponere, dispositam ornare, ornata ediscere et pronunciare. Quamobrè quinq; oratoris officia ponimus uidelicet inuentione, dispositione, elocutione, memoria et pronunciationem.

Tria sunt bonorum genera, bona animi ut uirtutes & scientie, bona corporis ut sanitas & pulchritudo, bona externa ut dignitatem & opes. Unde aduersarios non trahemus in inuidiam, non rapiemus in odium, non adducemus in repræbensionem eorum nobilitatem, potentiam, affinitatem, sodalitatem etc. referendo.

EX LOGICA.

Logica inter artes liberales principem tenet locum. Nam ueritatem demonstrat, falsitatem patet, format argumenta, diluit obiectiones.

Tres sunt partes Philosophiae uidelicet realis, moralis, sermocinalis. Ex qua diuisione patet Logicam, cum ueretur circa orationem ueram uel falsam, membrum esse Philosophiae.

Artis Logicæ præcipua officia sunt obscura definire, uniuersa diuidere, argumentis uera confirmare, et refutare falsa: Quum docendi sunt homines magis amatur Dialectica proprietas, quam ambitiosus ornatus. Sed in materijs moralibus dominant illa uerborum & figurarum lumina, quibus excitandus est auditor, & in cogitatione unius sententiae diu retinendus.

EX ETHICA.

Iustitia inter uirtutes morales est præstantissima. Nam eius lux & splendor, maiestas & reverentia, excellentia & dignitas nec cum Hespero, nec cum Lucifero (ut Aristotelis utamur uerbis) comparari potest.

Affectus neq; laudabiles neq; uituperabiles esse nō solum Philosophiae morali, uerum etiā SS. Theologiae est consentaneum, ut nō minus uere, quam eleganter D. August. in nono de ciuitate Dei libro hoc ipsum declarat, et quasi dígito demonstrat.

Humana fœlicitas secundum Aristotelem duplex est actiua & contemplatiua, priorē statuit in operatione perfectæ uirtutis moralis iustitiae, posteriore in contemplatione perfectæ uirtutis intellectuali sapientiae.

Fœlicitas actiua, cum plura bona requirat, utilior est fœlicitate contemplatiua. Hanc enim qui amplectitur, alit, tractat, atq; fouet potest subuenire miseris, succurrere pauperibus, prodeesse afflictis.

EX PHYSICA.

Viri singulari diuinæ Philosophiae peritia admirandi unanimi consensu probant, et acri iudicio asserunt, uniuersalia notiora esse particularibus. Quamobrem à communioribus ad minus communia merito procedunt authores.

Ex ordinatione diuina & dispositione cœlesti fit ut omnia agant propter finem aliquem.

EX METAPHYSICA.

Tanta est artium liberalium præstantia & perfectio, tanta pulchritudo & elegantia, tanta commoditas & necessitas ut omnes homines scire desiderent.

Visus est omnium sensuum nobilissimus, quia non solum inferiora & terrena, uerum etiam superiora & cœlestia corpora demonstrat.

A. 1505.

99

Categoriae, quae in libro primo de animalibus et vegetabilibus, &c. continentes.

Locis.

Ex parte C. A.

Ex parte M. V.

Ex parte P. L. & G. S. & C. M. & C. V.

Ex parte M. V.